

buit Boturini, aut aliqua illorum, ea ipsa erunt, de quibus ante dictum est? Quaestio haec per illorum comparationem solvi posset.

His addenda quaedam de rebus historicis manuscripta, in forma juridica, utriusque Juris textibus comprobata, quae B. M. V. de Guadalupe dicavit D. Augustinus Franco de Toledo, qui Mexici sedebat in Regio causarum Auditorio (hispane Oidor de la Real Audiencia de Mexico). Haec apud se habuit Laurentius Boturini. (1)

#### ARGUMENTUM QUINTUM.

*Veritas Apparitionis B. M. V. de Guadalupe comprobatur ex illius historica, et antiquissima Narratione mexicano sermone.*

De existentia cujusdam antiquissimae Narrationis historicae Guadalupensium Apparitionum mexicanae scriptae constat apud auctores, sive recentiores sint, sive antiqui. De ea meminerunt Tornel, (2) Guridi Alcoser, (3) Beristain, (4) Eguiara, (5) Oquendo, (6) Carrillo y Perez, (7) Uribe, (8) Cabrera Quintero, (9) Florencia, (10) Becerra Tanco, (11) Sigüenza, (12) et alii.

(1) Catálogo del Museo Indiano, § 35, núm. 10.—Beristain Bibliot. art. *Franco de Toledo*.

(2) La Aparicion de Nuestra Señora de Guadalupe, tom. 1, cap. 6.

(3) Apologia de la Aparicion, etc. cap. 15, ubi de scriptoribus.

(4) Bibliot. Hispan. Americ. art. Valeriano D. Antonio.

(5) Bibliot. Mexic. art. Antonius Valerianus.

(6) Disert. sobre la Aparicion etc.: tom. 2, cap. 6, § 6.

(7) Pensil Americano etc. Dissert. in fine operis, punto 5, núm. 45.

(8) Sermon 3º de N. Señora de Guadalupe, pag. 82 in editione anni 1821.

(9) Escudo de Armas de México, lib. 3 cap. 14.

(10) Estrella del Norte de México, cap. XIII, §§ 8, 9, et 10.

(11) Felicidad de México en la admirable etc, Pruébese la tradicion. Insertum habetur hoc opus in tom. 1 operis cui titulus, Coleccion de obras y opúsculos pertenecientes á la Aparicion, etc.

(12) Verba ejus infra legantur.

Hanc Narrationem apud se habuit D. Ferdinandus Alva Ixtlixochitl, rerum nostrarum peritissimus: fuit deinde apud D. Carolum Sigüenza, Presbyterum, uti in aliis, etiam in mexicanis antiquitatibus eruditissimus. Utrumque constat ex verbis ipsius Caroli Sigüenza, quae ad litteram adducunt Cabrera, (1) et alii.

Eminentissimus Lorenzana, dum Mexicanam rexit Archidioecesim, injunxit D. Carolo Tapia Centeno ut hispane verteret praedictam Mexicanam Narrationem. (2) D. Uribe (3) de existentia Mexicanae Narrationis Apparitionis Guadalupensis in Mexicea Universitate fidem facit.

Occasione hujus dissertationis quaesita est Apparitionis manuscripta Narratio Mexicana in Bibliotheca Mexicana, nec inventa est. Non mirum, quoniam multa valde aestimabilia fuerunt amissa in perturbatione rerum Ecclesiae, annis 1861, 62 et 63, causa spoliationis bibliothecarum ecclesiasticarum, dum libri ad eformandas publicas bibliothecas e suis locis moti fuere.

Quae antiquitas Narrationis Mexicanae Guadalupensis Apparitionis? Maxima quidem; quod facillime probatur; nam eruditissimus D. Ferdinandus de Alva, qui de Apparitione scripsit ante annum 1606 vel 1616, ut postea dicitur, (4) antiquissima asserit esse manuscripta mexicana ad quae refertur; (5) tunc autem, scilicet anno 1606 vel 1616, tantummodo 75 vel 85 anni elapsi fuerant post Apparitionem. Quae autem 75 vel 85 annis post Apparitionem jam antiquissima (muy antiguos) erant manus-

(1) Cabrera opere et loco ante cit. núm. 663.

(2) Beristain, Bibliot. art. Valeriano D. Antonio.

(3) Ubi supra.

(4) In 3ª Parte hujus Dissert in Comprob. et Explan histor. Argument. sexti.

(5) Florencia Estrella del Norte de México, cap. 13, § 8, núm. 160.

cripta, manifestum est plurimum ad tempus Apparitionis accedere. D. Uribe (1) probat insuper antiquitatem Narrationis Mexicanæ manuscriptæ, tunc existente in Mexicæ Universitate, eamque non multo tempore post Apparitionem scriptam fuisse, tum ex ipsa litteræ qualitate, tum etiam ex materia qua constat papyrum in quo scripta erat; quæ materia [masa de maguey] ea ipsa erat, qua indi utebantur ante hispanorum adventum; eadem proinde, quæ adhuc in usu fuit temporibus proxime sequentibus Mexici ab hispanis expugnationem, post quam expugnationem, decem transactis annis, contigit Apparitio.

Quis auctor hujus Narrationis? Betancurt (2) auctorem credit Fr. Hieronimum Mendieta. Alii auctorem dicunt Fr. Turibium Motolinia. (3) Alii (4) Fr. Franciscum Gomez, qui antequam in Religione profiteretur, a Secretis fuit Rmo. Zumarraga. Hi tres viri franciscani fuere. Narratio autem favet eos, qui prædictos adducunt ut ejus auctores, dum ita de religione Sancti Francisci loquitur, ut de illa loqui decet franciscanum. D. Carolus Sigüenza, qui prædictam Narrationem apud se habuit, auctorem ejus asserit Valerianum: en ejus verba, quæ ad litteram adducunt, Oquendo, (5) Cabrera (6) et alii: "Digo y juro que esta Relacion hallé entre los papeles de D. Fernando de Alva, que tengo todos, y que es la misma que afirma vió el licenciado Luis de Becerra. El

(1) Sermon 3.º de Ntra. Señora de Guadalupe supra cit.

(2) V. Florencia, Estrella del Norte de México, cap. XIII, § 8, núm. 162.

(3) Ita refert Carrillo y Pérez in Dissert in fine Operis, cui titulus Pensil Americano, Punto 5, núm 45.

(4) V. Carrillo y Pérez, loco cit.

(5) Disser. hist. sobre la Aparicion, etc., tomo. 2, cap. VI, § 6, núm. 429.

(6) Escudo de Armas de México, lib. 3, cap. XIV, núm. 663.

original en Méxicano está de letra de D. Antonio Valeriano, indio, que es su verdadero author, y al fin añadidos algunos milagros de letra de D. Fernando, tambien en Mexicano." Cabrera (1) viam mediam indicat, scilicet, quod Fr. Franciscus Gomez Narrationem hispane scripserit, Valerianus vero illam mexicane verterit.

Ex his omnibus, qui antiquissimæ Mexicanæ Narrationis Apparitionis auctores dicuntur, recentior est Fr. Hieronimus Mendieta, qui Mexicum advenit anno 1554, (2) id est, 23 annis post Apparitionem. Nam Fr. Turibius Motolinia advenit simul cum aliis misionariis franciscanis anno 1524. (3) Fr. Franciscum Gomez, adhuc juvenem, secum adduxit Rmus. D. Fr. Joannes Zumarraga cum e Hispania rediit anno 1533, duobus annis post Apparitionem: illum deinde Sacerdotem ordinavit; fuitque Antistiti a Secretis octo annis; ac tandem post aliquot annos in Religione Sancti Francisci professus est. (4) Valerianus, denique, ut ratiocinatur D. Uribe, (5) vel natus est ante annum Apparitionis, vel non multo post, cum ante annum 1570 gubernator indorum Mexici fuerit constitutus, quod munus hominem, præter alia, etiam matura aetate tunc maxime deposcebat, et ideo credendum illum quadraginta circiter aetatis annos tunc habuisse.

Quam sit fide digna antiquissima Narratio mexicana Apparitionum Guadalupensium patet 1.º ex eo quod

(1) Escudo de Armas de México, lib. 3, cap. 14, núm. 663 et seq.

(2) Florencia, Estrella del Norte de México, cap. XIII, § 8, núm. 162.—Torquemada Monar Ind. lib. 20, cap. 73.

(3) Torquemada ib. lib. 15, cap. 10 et cap. 9.

(4) Cabrera, Escudo de Armas de México, lib. 3, cap. XIV, núm. 664.—Torquemada Monarq. Ind. lib. 20, cap. 70.

(5) Disert. hist. crit. sobre la Aparicion, § 9, pág. 206 in Edit, anni 1821

consona est et annalibus, et mappis, et hymnis mexicanis antiquissimis, et dramatibus quibus Apparitio enarrata, et celebrata fuit: 2.º ex consensu omnium auctorum, qui omnes illam veracem agnoscunt; 3.º ex ipso ejus stylo, qui simplicitatem et fidelitatem prae se fert, ita ut quamvis valde mirabilia narret, nihil eloquenter exornat, nihil extollit, sed quae facta sunt simpliciter enarrat, ut Christus per Mariam Virginem glorificetur, et ut honoretur, ipsa B. V. uti notat Cabrera (1) post Florenciam; 4.º ex eo quod non attribuitur nisi auctori et scientia, et pietate fide digno: nam franciscani, quibus aliqui auctores illam attribunt, eruditi fuere, et virtutibus praeclari; (2) et inter eos, Fr. Franciscus Gomez a Secretis fuit Rmo. Zumarraga, (3) a quo procul dubio Apparitionis narrationem audivit: Valerianus vero et scientiam, et pietatem a primis annis ebibit a franciscanis in utraque conspicuis, in collegio Sanctae Crucis ad Tlaltelolco, atque vir fuit eruditus, et integerrimus. (4) Tandem haec antiquissima Narratio Apparitionis approbationem habuit archiepiscopalem, eo quod, ut supra dictum est, Emus Lorenzana, cum Archidioecesim Mexicanam regeret, illam in Hispanam Linguam verti mandavit, quod quidem minime fecisset nisi ipsi esset probata.

In manuscripto mexicano quod apud se habuit D. Ferdinandus de Alva, ut asserit Becerra Tanco, quatuor narrabantur Apparitiones B. M. V. Joanni Didaco, et quinta Apparitio Joanni Bernardino. (5)

(1) Escudo de Armas de México, lib. 3, cap. XIV, núm. 659.

(2) Torquemada, Monarq. Ind. locis supra cit.

(3) Torquemada, Monarq. Ind. lib. 20, cap. LXX.—Cabrera ubi supra, núm. 664.

(4) V. Torquemada, Monarq. Ind. lib. 15, cap. XLIII.

(5) Felicidad de México en la admirable Aparicion etc. Pruebas la tradicion—pág. 551 et seq. in tom. 1.º Operis cui titulus, Coleccion de Obras y opúsculos pertenecientes à la Apari-

QUAESTIO HISTORICA.

*Utrum una tantummodo, an plures extiterint Apparitionum B. M. V. de Guadalupe Narrationes mexicanae.*

Haec constant omnimoda certitudine, scilicet: 1.º Extitisse antiquissimam Narrationem mexicanam manuscriptam Apparitionum: 2.º Narrationem mexicanam Apparitionum typis editam fuisse anno 1649 a Presbytero Lazo de la Vega, quae in prima parte hujus dissertationis legi potest, quantum ad ea, quae ad Apparitiones pertinent. Tria adhuc sunt inquirenda, scilicet: 1.º Utrum Narratio Mexicana Apparitionum a Lazo de la Vega typis edita, sit illa ipsa antiquissima manuscripta Narratio, quae Valeriano, aut alicui franciscano antiquissimo attribuitur. 2.º Si non est eadem, quae antiquitas hujus Mexicanae Narrationis, quam Lazo de la Vega typis edidit? 3.º Utrum praeter has Narrationes, et praeter hymnos mexicanos, et Annales, et instrumenta, sive memorata, sive illa, de quibus in tertia parte dabitur notitia, alia extiterint mexicana manuscripta antiquissima, quae Apparitiones testarentur?

Ad primum solvendum, optima esset comparatio textus Narrationis mexicanae typis editae, qui extat adhuc in Bibliotheca publica Guadalaxarensi, et textus antiquissimae manuscriptae mexicanae Narrationis, qui, uti asserit D. Uribe supra citatus, in Bibliotheca Mexicae Universitatis suo tempore extabat: verum quoniam hic textus repertus non fuit, comparatio utriusque fieri non potest; atque necesse est ad illa tantummodo attendere, quae de illa antiquissima Narratione ex auctoribus constant. Videtur ergo propter sequentia duas esse Narrationes mexicanae scriptas.

—  
cion, etc., ubi insertum est praedictum opus *Felicidad de México*.

1.º Uti ait P. Florencia, (1) juxta antiquissimam mexicanam Narrationem Apparitionis suam hispanam Narrationem scripsisse videtur P. D. Ludovicum Becerra Tanco: hic autem auctor colloquutionem B. M. V. et Joannis Didaci, habitam narrat die Dominica quando revertens Joannes in domum suam, postquam signum Rmo. Zumarraga deferre promisit, ut dictis ejus fidem haberet, Tepeyacac ascendit. At vero in Narratione mexicana a Lazo de la Vega typis edita, haec collocutio praetermittitur. (2) Unde apparet Ludovicum Becerra Tanco alium textum mexicanum prae oculis habuisse.

2.º In manuscripta antiquissima Narratione Mexicana, uti asserit Florencia, (3) dicitur Joannem Didacum, cum Deiparae jussu Antistem adisset, quoniam ut ipsi alloqueretur demoratus est, in Templum ad Tlaltelolco tarde veniens, poenitentiam subiisse. Hoc autem praetermissum est in Narratione a Lazo de la Vega typis edita. (4)

3.º Uti asserit Florencia, (5) antiquissima manuscripta Narratio mexicana Apparitionis, ubi miracula narrat, ponit quarto loco curationem cujusdam foeminae, quae, stomacho intumescente, aegrotabat, nec quidquam per decem mensium spatium medicorum cura illi profuerat. In Narratione Mexicana typis edita a Lazo de la Vega, haec curatio narratur octavo loco.

4.º Uti ait Florencia, (6) antiquissima manuscripta

(1) Estrella del Norte de México, cap. 13, § 8, núm. 162.

(2) Videatur haec Narratio in prima parte hujus Dissertationis.

(3) Estrella del Norte de México, cap. XIII, § 9, núm. 163.

(4) Videatur haec Narratio in prima parte hujus Dissertationis.

(5) Estrella del Norte de México, cap. XIII, § 9, núm. 171.

(6) Ubi supra, núm. 171.

Narratio, ubi de mirabilibus, undecim tantummodo enumerat; at vero illa quam Lazo de la Vega typis edidit, (1) quatuordecim refert antequam de vita et morte Joannis Didaci verba faciat.

5.º P. Florencia in opere cui titulus *Estrella del Norte de México*, quasi de duabus antiquis Narrationibus mexicanis Apparitionis tractat de illa antiquissima manuscripta, et de illa, quam deinde typis edidit Lazo de la Vega. Nam de antiquissima manuscripta tractat cap. XIII, §§ 8, 9 et 10, eamque attribuit cuidam franciscano; de ea autem, quae deinde typis edita fuit, tractat, cap. XVI, núm. 199 et 200, eamque attribuit alicui indo ex illis, qui in antiquissimo collegio Sanctae Crucis ad Tlaltelolco fuerunt eruditi. Et Guridi Alcoser (2) duas Narrationes ut ab invicem distinctas adducit.

Quantum ad secundum sciendum est Narrationem Mexicanam Guadalupensis Apparitionis, quam Lazo de la Vega typis edidit, nullatenus ab eo scriptam dici posse: nam P. Florencia, ut supra dictum est, illam habuit ut antiquissimam: et similiter D. Laurentius Boturini, (3) qui ejus auctorem Apparitionis temporis coevum fuisse existimat; quod promisit se inconcussis argumentis probaturum in Historia B. M. V. de Guadalupe, cui operam dabat; et interea ejus antiquitatem stabilire, licet breviter, curat ex illis ipsis, quae in praedicta Narratione leguntur ubi miracula narrat.

Quantum ad tertium, indicat Florencia (4) in illo manuscripto in forma Annalium, de quo notitiam habuit quod apud P. Balthasar Gonzalez extabat, colloquutiones B. M. V. et Joannis Didaci enarrari. Haec

(1) Videatur in Bibliot. pública Guadalaxarensi.

(2) Apología de la Aparicion, etc., cap. 15, ubi de scriptoribus.

(3) Catálogo del Museo Indiano, § 34, núm. 3.

(4) Estrella del Norte de México, cap. XVI, núm. 200.

inquirere potui. Ceterum quanta antiquissima ad res nostras spectantia interierint, quis poterit definire?

Absque dubio testimonium Apparitionis inveniatur in Constitutionibus antiquissimae Confraternitatis in Tepeyaquensi Templo erectae, de qua meminit Pro Rex Henriquez anno 1575, ut dicitur in tertia parte hujus dissertationis. Hae constitutiones, si adhuc existunt, latent in obscuro alicujus archivi.

#### ARGUMENTUM SEXTUM.

*Multitudo, et sapientia scriptorum, Apparitionem B. M. V. de Guadalupe affirmantium, ejus ostendit veritatem.*

Scriptores Apparitionem affirmantes numerabimus, et mexiceos quam plurimos, et etiam externos in 3.<sup>a</sup> Parte hujus dissertationis in *Explanatione et comprobatione historica* hujus argumenti. Nec asserendum omnes ibi annumerari. Atque etiam notandum in scriptoribus, de quibus hic agitur, non includi concionatores.

Validum ad Guadalupensis Apparitionis veritatem stabilendam ex scriptoribus ducitur argumentum: quod patet ex sequentibus:

1.<sup>o</sup> Ex ipsorum scriptorum auctoritate. Quis enim credat tot viros eruditos, sive externos, sive mexicanos, inter quos non pauci reperiuntur, et scientia theologica conspici, et rerum nostrarum antiquarum peritissimi, vera apud se habere, et etiam scriptis libris asserere per tria saecula et amplius, ea mirabilia de quibus non eis constaret inconcusso fundamento?

2.<sup>o</sup> Ex eo quod opus aut opusculum de Apparitione B. M. V. de Guadalupe typis editum, non tantummodo ipsius auctoris ea de re sententiam ostendit, quoniam sine Superioris licentia typis edi non potuit. Haec autem licentia non conceditur nisi prius opus vel opusculum a viro sapiente, a Superiore ad hoc designato, legatur et approbetur. At vero ad impressionem hujus generis li-

brorum requiritur licentia Ordinarii Ecclesiastici: si vero auctor fuerit regularis, etiam requiritur licentia proprii ipsius Praelati regularis; atque dum Mexici incolae Hispanae ditioni subditi fuimus, etiam civilis potestatis licentia requirebatur. Qui autem librum approbant, et qui licentiam ad librum imprimendum concedunt, si in illo libro sibi proponit auctor, miraculum aliquod narrare, vel stabilire, indubium est illos etiam de miraculo eadem sentire, quae auctor libri sentit, et asserit. Unde unusquisque liber de Apparitione B. M. V. typis editus, varios eruditos viros idem ea de re sentientes, et publice affirmantes ostendit, scilicet, ipsum qui librum scripsit, et eos, qui approbaverunt, et qui ad illum imprimendum licentiam concesserunt (Ordinarios Ecclesiasticos hic adducimus tantummodo ut viros eruditos; nam de illis sub ratione Pastorum auctoritatem exercentium, tractabitur postea). Inveniuntur autem libri de Deiparae de Guadalupe Apparitione typis editi, qui plusquam sex viros eadem sentientes ostendunt: ex g. opus Patris Florentia, cui titulus *Estrella del Norte de Mexico*, typis fuit editum praevia licentia Ordinarii, et Superioris Regularis, et civilis Magistratus, atque ut illae licentiae concederentur, triplex praecessit approbatio; et in opere, cui titulus *Idea de una nueva Historia* etc, in cujus fine habetur *Catalogus Musaei*, in quo non pauca ad Apparitionem pertinentia, triplex legitur approbatio, et licentia triplex.

Non parum hinc augetur vis argumenti, quod ad probandam Guadalupensis Apparitionis veritatem ex scriptorum auctoritate deducitur. Nam si numerum auctorum Apparitionem confirmantium attendamus, quatenus ex scriptis ea de re libris apparet, uti videbitur in *Comprobatione et Explanatione historica* hujus argumenti, licet ad uniuscujusque libri impressionem plus minusve de approbationibus et licentiis requisitum fuerit, et licet non modo unus, sed etiam duo, aut plures libri ab uno potuerint approbari, qui fortasse et ipse alium librum scrip-